Numerus 3 - Anni III
:: Martius 1926 ::

Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8

EPHEMERIS MENSTRUA
NOSTRIS DIRECTORIBUS
CONGREGATIONUM B.M.V.

OBLATA A SECRETARIATU
CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

Praepositus Provinciae Belgicae
de Congregationibus Collegiorum

Advenerunt nobis litterae R. P. Praepositi Provinciae Belgicae de Congregationibus Collegiorum nostrorum, quae cum nitidissime summa principia hac de re complectantur, brevi certe compendio huc apponere iuvat. Legimus igitur in illis litteris ad Rectores Collegiorum (25 sept. 1925) datis haec fere:

Ut Congregationes Collegiorum nostrorum vigori pristino restituantur (quod desiderium est universale et ad unguem respondet iteratis votis A. R. Patris Nostri), prae ceteris necesse est radicitus evellere ex mentibus cum discipulorum tum maxime Nostrorum quorundam opinionem, veluti si Congregatio antiquata res sit aut degenerata et exhausta, quam recentioribus operibus locum cedere oporteat. Non utique auderem negare Sodalitates, ut sunt, aliquando non favere eius generis opinionibus. Nostrum tamen est fundamentum talium opinionum tollere, reddendo Congregationi genuinam eius indolem, qua sit coetus meliorum atque optimorum, studio fideli virtutum ac peculiari B. Virginis cultu excellentium reliquosque verbo et exemplo secum trahentium.

Actio tamen uniformis organizatione completur, cuius ligamen lex est, seu statuta Congregationis. Proh dolor, multi vix norunt haec statuta; quare necesse est, ut Directores, maxime sub anni scholarum initium, Regulas Sodalitatis compluribus exhortationibus commententur ac declarent.

In admittendis Sodalibus attendendum est ad bonum commune totius coetus magis quam bonum privatum huius vel illius iuvenis. Conditio *sine qua non* renovandae uniuscuiusque Congregationis ea est, ut nonnisi selecti iuvenes in eam admittantur. Melius est supprimere Congregationem aliaque opera instituere eius loco, quam omnes indiscriminatim admittere qui utut bonae voluntatis sunt. Nec parcendum poenis necessariis etiam post admissionem: suspensionis, imo expulsionis. Non est cedendum zelo cuidam incondito, quo quis Director facile inducitur ad extendendum beneficium Congregationis ad quam plurimos alumnos, invitandosque quam plurimos ad pios Sodalium consessus. Pro maiore alumnorum nostrorum parte abunde sufficiunt exercitia communia pietatis quae in Collegiis nostris fiunt, cum directione spirituali Confessariorum. In Sodalitate vero diffflueret ac degeneraret actio, in quam intendimus, si melioribus negligentiores miscerentur. Numeris utique determinare hanc selectionem difficile est, in genere tamen quartam aut tertiam discipulorum partem superare coetus Congregatorum ne permittatur.

Sermo deinde fit de virtutibus, quas prosequi Sodales in Collegiis debeant, deque modo quo apostolicis operibus exercitandi sint. Ubi sapienter additur, opera zeli in iuvene nondum maturo sed formando ita esse seligenda, ut appareat, non adeo bonum quodcunque per discipulos nos provehere velle, sed imprimis ipsius discipuli bonum spirituale et introductionem eius ad apostolatum quaerere. Sic excessus quidam melius vitabuntur.

Tandem ne obliviscantur Directores de Congregatione *Mariana* esse sermonem. Devotio Mariana ita est animis iuvenum inserenda, ut ex ea quasi sponte reliqua omnia pullulent. Haec est enim una cum Eucharistia radix verae pietatis catholicae. Ad ipsum SS. Cor Iesu pueros iuvenesque per Mariam ducere nos oportet.

His ex lingua gallica depromptis addimus " Normas „ verbotenus ex latino schemate eiusdem R. P. Praepositi exscriptas:

Normae statutae pro Congregationibus alumnorum

" 1. Rectores et singuli Collegii officiales omnes adhibeant conatus, ut alumni tum maiores tum minores magnam concipiant Sodalitatis *aestimationem*. Ipse Rector, occasione primae proclamationis in aula collegii,

nomina Praefectorum et Assistentium nota faciat discipulis simulque testetur, quantam de se Sodalitas det exspectationem. Honorifica discipulorum munera ne committantur nisi Sodalibus.

2. Saepe *inquirat* Rector apud Moderatorem de statu Sodalium et de iis omnibus quae ad Sodalitatem spectant. Si plures sunt Moderatores, eos quovis saltem trimestri in specialem de Congregationibus deliberationem simul convocet.

3. Alia opera, ut sunt Apostolatus Orationis vel Cruciata Eucharistica, *ne assumant formam generalis alicuius in Collegio associationis*, finem, modum et spiritum Congregationis imitantis; sed potius in singulis scholis Rector vel Promotor horum operum designet aliquem ex Nostris, plerumque ipsum Magistrum, ut haec opera quisque apud suos promoveat.

4. *Opera zeli nova* quae forte in Collegio orientur, et (quantum hoc per adiuncta licebit) illa etiam, quae iam nunc existunt, *ad modum Sectionum* Congregationis instituti debent *eique vinculo dependentiae uniri*. Hoc saltem omnino tenendum: inter alumnos neminem posse esse alicuius operis zelatorem, nisi simul sit Sodalis.

5. Quicunque Sodalitati adscribi cupit, praeviam et seriam *probationem saltem duorum mensium* subire debet, quamvis iam antea sive in Collegio sive extra illud alii Congregationi fuerit adscriptus. Ab hac nova probatione nonnisi Officiales maiores eximantur.

6. Ad promovendam Sodalium formationem simulque omnium inter se cohaesionem Moderatoribus *periodica* sufficientur folia alumnis destinata, ad normam eorum, quae iam in lucem prodeunt: gallice *Ianua Coeli...*; flandrice *Bijblad voor Studenten...*

7. Componetur *Directorium Sodalitatum alumnorum*, cuius ope maior in methodo unitas et coordinatio et, ut sperare licet, abundantior etiam fructus et efficacia obtinebitur. »

EPISTOLAE AD EDITOREM

De coetibus « restrictis » Congregationum

Rev. i. X. Pater!

Veniam peto, si responsioni, quam R. V. dedit cuidam Patri circa *Circulos restrictos in Congregatione*, et quam legi in n. 10, an. II, Decembris 1925, ephemeridis " *Acies Ordinata* ", audeo subnectere aliquod additamentum.

Ex dictis in illa responsione subsumere quispiam posset, vix fuisse Romae aliquando velut umbram huiuscemodi Sodalitatum, vulgo *Ristretti* Congregationum Marianarum; et si qua forte exstitit, eam fuisse quodammodo clandestinam, ignoratam a ceteris Congregatis, vix toleratam neque omnino legitimam.

Tamen, ut innumera documenta testantur, Romae a temporibus PP. Claudii Acquaviva et Mutii Vitelleschi plures exstiterunt *Circuli restricti* Congregationum Marianarum, omnibus noti tum Congregatis ipsis, tum aliis; et floruerunt usque ad annum 1870, quando Societas nostra e suis domibus et ecclesiis fuit deturbata et eiecta; imo unus ex his Circulis (Ristretti) adhuc superest et floret sub directione P. Iosephi Corsi, plane probantibus nostris Superioribus; nec quidquam habuerunt clandestini et illegitimi.

Primus qui istiusmodi *Circulus restrictos* instituit, fuit P. Sartorius *Caputo* provinciae neapolitanae, qui cum esset addictus Collegio nostro Aquilae in Vestinis (Aquila degli Abruzzi), moderabatur confertissimam aeque ac lectissimam Congregationem virorum nobilium. Sed cum videret plures ex his Congregatis pietate ac spiritus fervore valde prae ceteris praestare, voluit eos secernere et in novum coetum coadunare, quo vitam perfectiorem profiterentur tam ad sui sanctificationem, quam ad aliorum salutem procurandam. Id accidit anno 1604.

Res mire ac prospere successit; sed aliquos nostros morosiores offendit, quasi opus novum et a nostro Instituto alienum fuisset excogitatum.

Lis, ad P. N. Claudium Acquaviva delata, soluta est in favorem P. Caputo. Imo a P. N. data est facultas circulum aliquem huiusmodi etiam Romae aperiendi; quod factum est paullo serius sub P. Mutio Vitelleschi anno 1618 a P. Petro Gravita Oratorii SS.mae Communionis Generalis Directore, qui in unum collegit plures sacerdotes illi Oratorio addictos, qui videbantur magis apti ad vitam perfectiorem et apostolo dignam profitendam; et efformavit *il Ristretto dell'Immacolata Concezione*.

Hanc vero Congregationem P. Mutius Vitelleschi ita probavit, ut supremam eius directionem sibi suisque pro tempore successoribus omnino reservatam voluerit, nec prohibuit quominus illa nomen *Ristretto* publice retineret.

Sedem habuit primum in Oratorio Caravitano, tum translata est in Ecclesiam Nominis Iesu (ob difficultates, quas passa est a Congregatione Mariana maiore ipsius Oratorii Caravitani); et rursus restituta est Directori illius Oratorii. Finem habuit paucis abhinc annis non certe ex voluntate P. N. Generalis, sed alia omnino de caussa (E.mo Cardinalis Vicarius Romae, cum videret alium coetum sacerdotum suis curis commissum valde languescere et deficere, iussit omnes sacerdotes, relicto nostro, ad suum circulum transire).

Verum Romae non hic tantum *Circulus restrictus* efformatus est: progressu temporis plures alii constituti sunt, praesertim in Oratorio Caravitano et in Collegio Romano. Et in Oratorio

quinque saltem floruerunt, quorum primus pro Sacerdotibus, ut dixi, qui postea, mutato nomine, dictus est S. Petri, secundus pro viris nobilibus sub invocatione SS. Angelorum ; tertius et quartus sub titulo Apostolorum ; uterque efformatus ex duodecim sociis ordinariis, partim nobilibus, partim plebeis, qui quotidie Patribus opem ferebant in suis sacris ministeriis, quique ex veste, quam induebant, vulgo dicti sunt *Collaroni*. Tandem quintus pro adolescentibus sub tutela Deiparae Immaculatae et S. Aloisii Gonzaga. In moderandis his sodalitiis prae ceteris maxime praestiterunt P. Gravita, P. Merlini et P. Franciscus Maria Galluzzi, qui plures egregios sacerdotes sibi adscivit et ad sanctitatem promovit, quos inter S. Ioannem Baptistam de Rossi.

Quid vero dicam de Collegio Romano ? Discipuli, etsi in varias Congregationes essent dispertiti, suos quoque habebant *Circulos restrictos*, in quibus instituendis et promovendis operam suam naviter posuerunt prae aliis P. Ioannes Antonius Caprini, P. Pompeius de Benedictis, P. Hieronymus de Sanctis et P. Franciscus Maria Galluzzi. Et haec quidem ante extinctionem Societatis usque ad annum 1773.

Hac restituta (1814) rursus cum Congregationibus Marianis apparuerunt *Circuli restricti* tum in Oratorio Caravitano, tum in Collegio Romano. Et in Collegio Romano usque ad annum 1870, Ecclesiae et Societati tam luctuosum, maxime floruit *Circulus restrictus* discipulorum vulgo *Ristretto degli Apostoli*, praesertim dum commissus erat curis PP. Iosephi Bonvicini, Ioannis Cassini, Michaelis Tavani. In Oratorio vero Caravitano idem P. Tavani *Circulum* sacerdotum renovavit, magno cum fenore Urbis aliarumque Italiae civitatum, eo quod ex illo non pauci egregii et sancti sacerdotes extiterunt. De hoc paullo ante mentionem feci.

Nec Romae tantum, sed in tota provincia romana (et de aliis Italiae provinciis idem dici posset) praeter Congregationes Marianas fere in singulis Collegiis erant *Circuli restricti* (Ristretti), qui ut a Congregationibus distinguerentur, dicebantur *Congregationes secretae*. Primae dicebantur *communes et publicae*, quia facilius omnibus patebant ; secundae *secretae*, quia paucis et selectissimis Congregatis reservatae.

Haec distinctio facta est etiam pro Congregationibus Bonae Mortis. Romae v. g. in domo Professa erat Congregatio *publica* communis omnibus tum viris, tum feminis, quae in ecclesiam conveniebat singulis feriis sextis, et *secreta* viris dumtaxat et quidem paucissimis reservata, quae feria quinta in sacellum prope altare maius positum se recipiebat, ibique in precibus fundendis, meditationibus perficiendis et etiam flagris corpus affligendo se exercebat.

Sed ut ad Congregationes Marianas redeam, et hanc nimis longam epistolam tandem aliquando concludam, id solum addam : anno 1773, quo abolita et nostra Societas, in sola provincia romana existebant Congregationes Marianae communes et publicae *centum triginta duae*, et Congregationes secretae (*circuli restricti*) *viginti sex*, qui respondebant numero fere omnium Collegiorum provinciae, ut videri potest in vetere catalogo typis edito anno 1772-73.

Commendo me SS. SS. et O. O.

PETRUS GALLETTI S. J.

NOTA. Ad pleniorem rei notitiam possent utiliter consuli :

P. Memmi Giovanni : Vita del P. Francesco Maria Galluzzi. L. II, p. 113.

P. Memmi Giovanni : Memorie intorno all'Oratorio del Caravita ecc.

P. Tavani Michele : Vita del Beato Giov. Battista de Rossi. C. II, p. 27.

P. Galletti Pietro : Memorie intorno al P. Molza ecc. CXXIX, p. 425.

Moroni Gaetano : Dizionario storico ecc. Vol. XIV, p. 194.

Ponzileoni Lodovico : Compendio di ciò che appartiene all'Oratorio della SS. Comunione Generale ecc. CIV, p. 30.

P. Paterniani : Menologio della Compagnia di Gesù ecc.

Nota Editoris. Sapienter tamen monuit R. P. *Wernz* (Prov. Taur., 18 Febr. 1908) : " De speciali Sodalitate inter optimos quosque Sodales ipsius Congregationis instituenda, quam " Ristretto " appellant, cogitari non potest, antequam ipsa Congregatio certo quodam temporis spatio stabilitate quadam ornata apparuerit. Neque etiam postquam stabilis evasit Congregatio, eiusdem circumstantiae semper tales sunt, quae illam institutionem permittant vel suadeant, quandoquidem periculum esse potest, *ne reliqua Congregationis pars paullatim negligatur* ". (Cfr. Mullan, num. 1968).

Indulgentiae Congregationis ubinam authentice collectae et publicatae sint, aliquis quaerit. Respondendum : Apud *Mullan* : The Sodality of Our Lady Studied in the Documents, num. 1983 - 2022.

Catechismus Parvus Congregationis Marianae exhaustus est, sed iterum imprimitur. Pretium est 1 lira ital., pro 10 exemplaribus 8, pro 100 vero 70.

Gratias pro obolis : P. *J. R.* Aleppey L. 60 — P. *A. W.* Fort Stockton L. 100 — R. P. *A. D.* Tuy L. 87 — P. *L. de J.* Katwyk L. 100 — P. *C. M.* Speier L. 57.80 — P. *E F.* Liège L. 20.22 — P. J. *V.* Turnhout L. 28.08 — P. *A. A.* Murcia L. 168.

Formula petendi ab Episcopo erectionem novae Congregationis

Insistunt aliqui ut paradigma exhibeamus rogandi Episcopum erectionem Congregationis et facultatem aggregationis petendae, ubi nimirum de Congregatione agitur extra nostra saepta. Quare sit hic exemplum :

Illustrissime ac Reverendissime Praesul !

Cultum ac devotionem erga SS. Virginem promovere cum desiderem, supplex Excellentiam Vestram rogo, ut velit :

1. erigere Congregationem B. M. V.... (e. g. virorum, operariorum, puellarum etc.) sub titulo... (titulus Marianus, e. g. Annuntiationis B. M. V.) et S.i (vel S.ae)... (titulus secundarius, e. g. S. Aloysii, S. Theresiae) in... (templum, Collegium etc.) in... (urbs, pagus), dioecesis Exc. V.;

2. approbare regulas huius Congregationis hic appositas (vel : prout adhibentur in regulis Primae Primariae Collegii Romani, vel : prout exhibentur in Manuali...);

3. nominare Directorem... (vel : Parochum, primum vicarium, rectorem etc. huius templi, collegii etc. *pro tempore* exsistentem) ;

4. facultatem dare ut haec Congregatio ad lucrandas indulgentias Congregationi Primae Primariae Collegii Romani aggregetur.

Datum.....

Exc. V.ae infimus in X. servus :

.....

Ad elenchum Beatorum ac Venerabilium Sodalium

P. Constantinus Kempf, hagiographiae recentioris aevi peritissimus, haec ad supplementa elencho Patris Lamprecht proposita notat :

" Mea quidem opinione eos solos exhibere praestat, quorum processus beatificationis iam coeptus est ; secus enim, si omnes exhibere volumus, qui in sanctae vitae odore defuncti sunt, infinitum prope numerum congerendum inveniemus et deerit criterium obiectivum. Quare omittendos censuerim ex elencho Patris Mulders hos : Casp. de Castro, Malagrida, Haywood, Pavone, Drexelium, Eleonoram de Gonzaga.

Quaedam etiam corrigenda videntur. P. Bruno de Santa Cruz idem est ac *P. Bruno Bruni* (elencho Patris Lamprecht exhibitus) ; verum enim eius nomen *Bruni* erat, " de S. Cruz " solum identidem ex devotione (ut videtur) sese appellavit. — P. Joh. K. *Kratz* Sodalis erat in Düsseldorf, non Goldheim ; Golzheim est locus eius natalis. — Beatum *Bellarminum* Sodalitati adnumerare vix possumus ; iam enim anno 1559 Societati nomen dedit, neque quodquam indicium habemus eum postea Directorem forte egisse.

Addendi tamen sunt elencho : 1) Ven. Caspar Bertoni († 12 Junii 1853), sac. saecularis, fundator Oratorii cuiusdam in Verona ; erat enim Director Congregationis Primae Primariae aggregatae. 2) Ven. Vincentia Gerosa († 29 Jun. 1847), institutrix cum Ven. Bartholomaea Capitanio Congregationis Sororum Caritatis in Lovere. 3) Probabilissime Sodalis erat etiam Ven. Franciscus a Lago Negro O. M. Cap. († 1804), alumnus Collegii nostri Neapolitani et insignis cultor B. M. V. Annuntiatae.

P. Aug. Lamprecht haec praeterea corrigenda proponit : B. Petrus Berno (non Berni), P. Franc. *del* Castillo (non *de*), P. Franc. M. Gal*l*uzzi (non Ga*l*uzzi), P. Petrus Cayron † 175*4* (non 174*5*). *Ludovica Theresia* de Montaignac † 1885 (non *Vincentia*, 184*7*), Carolina Carré de Malberg † 1891 non 1885).

P. William Barrow, quem P. Mulders nominat, idem est ac Gulielmus Harcourt (Warren) † 1679, in meo elencho. (Vidé Kempf : Heiligkeit der Ges. Jesu I 355). Tamquam *certe* Sodales utique addendi sunt BB. Stephanus Pongrácz et Melchior Grodecz ; praeterea Archiducissa Eleonora († 1620) eiusque soror Christiana † 1621), utraque in Hall.

P. Felix Baranera (Puerto Montt, Chile) monet etiam Ven. Antonium *Claret* (Archiepisc. Iacobopolitanum in Cuba, † 1870) Sodalem fuisse (cfr. eius vitam auct. Mariano Aguilar III 53).

Inquirendum praeterea esset de his : Contardo Ferrini († 1902), Jos. Tovini (advocato in Brescia † 1897), Cardinali P. Carolo Odescalchi († 1841 in Modena), Beata Anna M. Taigi († 1837, Romae), Paulina M. Jaricot († 1862, Lugduni), Gemma Galgani († 1903 in Lucca). Fortasse aliquis plura de his indicare potest Patri Lamprecht (Paulskirche, Sporgasse 21 a, *Graz*, Austria).

QUAESTIONES PRACTICAE

De sensu liturgico in Sodalibus fovendo. Multa hodie fiunt ad sensum liturgicum refovendum, imo sunt qui nihil fere actionibus pietatis individualis relinquere velint, sed liturgicis operibus et studiis absorbere omnia cupiant. Quid in Sodalitatibus nostris hac in re observandum videtur ?

Resp. Demptis exaggerationibus, certe sensus liturgicus, seu amor et cognitio publici cultus quem Ecclesia Deo offert, etiam inter Sodales nostros omni impensa colendus est. Altior et accuratior liturgiae catholicae cognitio etiam sanctitatis illius adipiscendae utile erit adminiculum, quam Congregatio tamquam finem primarium profitetur.

Quare sapienter agit Director, si :

a) in exhortando Sodales *excitat ad liturgicas exercitationes*, lectiones, studia ;

b) identidem bene *explicat sensum sacrarum functionum*, maxime tempore Quadragesimae et Paschatis ;

c) explicat *ritum Missae*, vestium sacrarum, altaris, vasorum usum et symbolismum, sacramentalia etc.

d) hortatur Sodales ut si possunt *Missam ex parvo Missali sequantur* et sic simul orare cum Ecclesia assuescant ;

e) hortatur Sodales, ut sequantur in devotionibus suis *annum ecclesiasticum*, atque etiam ipse in allocutionibus, precibus in conventu recitandis, canticis etc. anni ecclesiastici rationem habet ;

f) commendat (iis qui inde fructum carpere possunt) *Officium Parvum* recitandum, cuius etiam sensum paulisper explicare prodest in conventibus ;

g) ipsos Sodales adigit, ut e. g. in *Academia* Sodalitatis identidem *themata liturgica explicent.*

De Directore Sodalitatum Diocesano. In quibusdam regionibus, ubi Sodalitates fere in omnibus Dioecesis parochiis bene florent, solent Episcopi nominare *Directorem dioecesanum omnium Congregationum Marianarum dioeceseos.* Estne haec res a Nostris promovenda? Et quamnam iurisdictionem Directores isti super singulas Congregationes habent?

Resp. ad 1.: Certe est res *omnino promovenda*, imo ubi id moris nondum usuvenit, conandum est ut introducatur, ea lege cauta, ut quantum fieri potest, apti et strenui Sodalitatis fautores et qui regulas ac spiritum Sodalitatis bene cognoscant, ad id munus eligantur. Talis enim Director bene incitare potest desides, cohortari ferventes Directores, suppeditare auxilia, atque omnia agere vice Episcopi quibus vigor Sodalitatum alatur. Ipsi quoque Sodales se magis excitari ad exercitia Congregationis magni aestimanda sentient, si viderint a peculiari quodam dioecesis Magistratu, Episcopum repraesentante, curari, identidem visitari, collaudari vel moneri.

Resp. ad 2.: Iurisdictionem Director Dioecesanus talem ac tantam habet, *qualem et quantam ei Episcopus dederit.* Patet eius iurisdictionem ad Congregationes nostras utpote exemptas per se non extendi; unitatis tamen gratia Nostri quoque in actionibus communibus prudenter morem gerent desiderii eius, nisi aliena a nostris Statutis urgere voluerit. In Congregationibus Episcopo subiectis Episcopus, si vellet, posset Directorem dioecesanum delegare ad quaevis munera Directoris sibi reservanda in variis Congregationibus, generatim tamen id non faciet, sed relinquet singulis Congregationibus seu magis singulis Directoribus autonomiam solitam, sibique magis iura reservabit *inspectoris* et *consultoris cuiusdam superioris*; curabitque ut necessariam singulorum Directorum auctoritatem coram Sodalibus non destruat, sed tueatur. Bene tamen facit, si relationem scriptam quotannis ab omnibus Directoribus exigit, identidem singulas Congregationes invisit, aliquando communia consilia actionesque apostolicas omnibus simul commendat vel etiam praescribit.

CHRONICA

Roma. *Congressus Missionum S. J.* Prodiit nuper liber continens "Acta Congressus Missionum S. J.", Congressus inquam mense Octobri Romae habiti. Pag. 50, ubi de mediis vocationum fovendarum ad Missiones agitur, inter haec Congregatio Mariana singulari titulo advocatur. "Suadetur — sic ibi dicitur a quodam — ut Sectiones missionariae inter Sodales Congregationum Marianarum instituantur. Nam si iuvenes in Congregatione non tantum ad pietatem, sed etiam (praesertim per Sectionem missionariam) ad apostolatum formantur, vere sunt seminaria vocationum. In Provincia Hungariae ante decem annos vix quisquam de Missionibus cogitaverat; nunc vero, ex quo in Congregationibus Sectiones missionariae institui coeperunt, zelus apostolicus inflammatur et numerus vocationum crevit".

Ipse A. R. P. N. absoluta discussione iterum Congregationum Marianarum mentionem fecit. "Congregationes — inquit — Marianae, si bene diriguntur, si spiritus apostolatus bene docetur, erunt *scholae apostolicae primi ordinis*" (pag. 51).

Limerick (Hibernia). P. L. *Potter* S. J. haec fere de Sodalitatibus Hiberniae scribit:

"Sodalitatem hic habemus 50 iam annorum pro ancillis, mulieribus et virginibus operariis vel in officiis aborantibus. Numerus sociarum est fere 1800. Singulis diebus Lunae sub vesperum convenitur; medius numerus assistentium est supra 1000, in Communione menstrua generali circa 1700. Sunt quae a 30 chilometris cyclo vectae adveniant. Operibus misericordiae vacant in Conferentiis S. Vincentii. Doctrinam christianam tradere vix possunt.

"Sunt qui dicant in Hibernia Sodalitatibus virorum non esse locum. Nostri enim ante 30 fere annos paucissimi praeter Collegia ministeriis se dederant, unde factum est, ut alii Ordines religiosi suas pias uniones ubique instituerint et multum evolverint. Inde Nostri solis fere Confraternitatibus SS. Cordis introducendis operam dederunt.

"Quin tamen etiam apud nos Sodalitas Mariana florere inter viros ac iuvenes nequeat, vehementer dubito. Reapse Dublinii in Gardiner Street duas tales Congregationes vigere cernimus. In Limerick autem pro iuvenibus, qui scholas absolverant, habemus Sodalitatem adeo abundantem, ut conventus ordinarii relicto sacello in templum transferendi fuerint. Quamquam etiam hic floret alia quaedam pia Confraternitas 5.000 virorum et 3.000 iuvenum, qui per Sectiones distributi ter singulis hebdomadis conveniunt.

"Mentione dignus est mos apud nos, ut cuicumque e Candidatorum numero ad Sodalium coetum transierit, ad novum Candidatum aptumque suo loco substituendum et invitandum obligetur".

Oña (*Burgos*). Congregatio adolescentium minorum (Kostkas nuncupatorum) exemplo esse potest, quomodo pietas cum apostolatu sit coniungenda. Habent enim adolescentes illi Sectiones pietatis, e. g. quam "sabbatinam" in Hispania appellare solent, curantium nempe, ut diebus sabbati quam plures Sacro intersint et S. Communionem accipiant. Sed etiam apostolici zeli tentamina homunciones illi superant; sic v. c. parvam bibliothecam popularem ornarunt, ut tam ipsi quam plebeii pueri longas vesperas hibernas utili lectione simul et iucunda tererent. Imo libris istis domum allatis ipsi etiam parentes saepe et delectantur et iuvantur, cum bene sint selecti et instructionem religiosam variis formis circumdatam contineant. Missionum exterarum fideique propagandae causam aeque promovent pueri tam inter se ipsos quam inter alios, scripta diffundendo, parvasque lectiones de re missionaria habendo. (*Estr. del Mar*).

The Queen's Work. Hic est titulus folii periodic sodalitii in America editi, qui quamvis initio rebus Congregationis illustrandis et propagandis fuisset consecratum, paullatim mutatum erat in ephemeridem catholicam generalem eius formae, quam familiarem appellare vulgo consuevimus. Solum ad calcem periodici pagella una vel altera "pro Sodalitatibus" addita fuit. Nunc tamen folium ad pristinam naturam reducta est atque

rebus Sodalitatem spectantibus unice prosequendis reddita. Gaudemus omnino, quod hoc consilii praevaluit. Si enim recte Congregationem mente conceperimus, uberem certe materiam inveniemus pro tota ephemeride menstrua, neque putabimus periodicum sodalitium rebus alius generis egere, ut repleri articulis possit.

Congressus sodalitii huius ultimi anni variis locis habiti iterato commendarunt periodicorum sodalitiorum Directoribus, ut non tantum *nomen* sodalitium periodicis suis praefigerent, sed rem quoque servarent, cum plurimae omnino quaestiones circa praxim Congregationum sine intermissione occurrerent, quae luce conspergendae atque modo quodam uniformi solvendae essent. Principia sunt explicanda atque ad casus et condiciones varias applicanda; via ac ratio cultus Mariani, vitae spiritualis, zeli animarum apostolicorumque operum iterum iterumque illustrandae, exempla chronica de singulis Congregationibus exhibenda et ita porro.

Haec postrema res — *chronica* — peculiaris sane momenti esse nobis videtur. Non solum enim ad aedificationem serviunt rerum a sodalitate actarum relationes et ad imitandum invitant, sed etiam ad salutare examen conscientiae [obeundum tacite impellunt, tam eos qui eas legunt, quam eos qui eas scribunt. Si enim, ut accidit aliquando, Sodalitatis Praeses vel Praefectus vel Secretarius in annua sua relatione nihi fere aliud nunciare potest, quam electionem novi Magistratus, vel admissionem novorum Sodalium,vel excursionem in montes, vel mortem alicuius Sodalis: generatim pro signo est, Congregationem illam satis longe a sua natura defecisse, dormitare, languere. Ubi enim vita est, ibi etiam operatio esse solet; ubi autem operatio, ibi res particulares generatim abundant nunciandae.

Haec tamen generatim dicta esse velimus, *occasione* utique laeti illius eventus circa *Queen's Work*, nulla tamen ratione ita, ut de rebus Congregationum Americae tantum haec dicta esse putentur.

Buenos Aires *(Argentina). Sodales carcere detentis serviunt.* Congregatio feminarum huius urbis Sectionem habet pro feminis carceribus detentis invisendis et iuvandis. Adeunt sociae per vices carcerem feminarum, ubi incolas carcerum poenam luentes doctrinam christianam docent. Instruunt praeterea simplicem aliquam carceris bibliothecam, quibus utiliter simul atque honeste occupentur mulieres, quae invitae hospitalitate patriae fruuntur. Ubi primum autem aliqua ex detentis carcere liberata est, uni e Sodalibus cura tribuitur ad eam honesto loco collocandam, tutandam, consilio opereque adiuvandam, donec vitae honestae penitus restituta sit.

Almeira *(Hispania). Curantur aegroti.* Est in hac urbe Sodalitati feminarum Sectio aegrotis pauperibusque iuvandis. Cuius Sodalis quaedam octogenaria, spreta annorum mole, invisendis per urbem aegrotis pauperibusque invicto animo operam navat. Invenit nuper pia senula puellam quandam malae vitae deditam, quae quamvis tabe pulmonum fere confecta ad extrema vitae discrimina delaberetur, a Sacramentis tamen suscipiendis atrocius resilierat. Piam Sodalem nihilominus iterum iterumque adventantem et iudicium aeternamque sortem ut cogitaret hortantem, consilii impatiens, acribus primo verbis obiurgavit, ac domo tandem expulit. Nec tamen haec Boni Pastoris exemplum oblita facile victas dedit manus, verum postero die lautiore dulcique cibo onusta ad mulierculam rediit, veniam importuni amoris petens. Tanto generosi amoris facinore victa tandem resipuit moribunda, Sacramentis animum luit et refecit, mox placido vultu vicinam mortem oppetitura. Sed etiam alium quendam pia matrona Christo lucrata est, hominem inquam socialistam, qui veluti rabie odii contra religionem perfusus usum Sacramentorum notabili annorum serie sibi negaverat. *(Mensageiro de Maria).*

Turnhout *(Belgium).* Splendida illa *Congregatio virorum patrumque familias* nunc ingressa est *annum 78.mum vitae suae* cum 705 Sodalibus. Elapso anno sibi adscivit novos soccios 83, perdidit 27, mansit igitur augmentum 59. Schedula annua typis excusa Sodalitatis haec referens notat, absentias a conventibus ad minimum numerum fuisse reductas, atque Sodalium assiduorum apostolatum in id inprimis tetendisse, ut neglegentiores socios invitando, leniter commonendo, comiter increpando ad conventus de more frequentandos denuo inducerent.

Alia apostolatus opera diffusionem bonorum librorum et diariorum promoverunt. Novem dierum devotione, singulis vesperis conciuncula Directoris audita, Immaculatae Conceptionis diei solemni praeluserunt. Ut Sodales bene propagare cognitionem Missionum scirent, hoc anno bis in hebdomada circulus studiorum convenit rerum missionariarum cognoscendarum gratia; utque penitus animi devincirentur Missionum studio, Congregatio sibi sumpsit *curam alendi unius clerici missionarii*, de quo relationes semper expetuntur, leguntur, discutiuntur.

Complures Sodales peregrinationem Lapurdensem hoc anno facturi iam nunc parce victitant, ut aes ad expensas itineris necessarium tempore sibi seponant. Die 13 Decembris publicae manifestationi in honorem Immaculatae Virginis factae omnes summa cum bonorum laetitia et spirituali aedificatione intererant.

LIBRI NOVI

Congregação Mariana Academica: Archivo Mariano Academico. *1916 a 1923.* Bahia 1925.

Voluminosus hic liber 650 paginarum seriae vitae sodalitiae inter studiosam iuventutem academicam Brasilensem est indicium. Proferuntur eo primum annales Academiae, ipsiusque Congregationis; deinde dissertationes ab ipsis academicis Sodalibus prolatae concinne exhibentur. Ex quibus themata aliqua hic subnectere placet:

"De operibus catholicis iuventutis."
"Vita et anima" (medice consideratae).
"De influxu Christianismi in artes".
"De veritate religionis ex utilitate eius probata".
"Dante Alighieri".
"De influxu cinematographorum in societatem".
"De educatione puerorum domestica".
"De Darwinismo".

Praeterea alia themata ex variis scientiae provinciis deprompta et a Sodalibus elucubrata. Exemplo aliis sunto!

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*
Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Orazio Coclite, 50-A